

QK. 533, 26

B. M.

X 1862350



ANDR. DINNERI CON-
RADI F. JC.

ΕΕΝΙΚΑ ΣΤΡΑ-
ΤΕΥΜΑΤΑ,

S I V E


ORATIO,

AB EODEM HABITA IN ACAD.
NORIMBERG. QUÆ EST
ALTDORPHI,

Tertio Kal. Novembr.

A N N O C H R I S T I
—
M. D C. X X I.

Excudebat ibidem BALTHASAR SCHERFFIUS,
Academiæ Typographus.





NOBILISS. AMPLISS. ET PRUDEN-
TISS. DOMINIS

INCLYTÆ ET
TOTO ORBE CLARISS.
REIP. NORIMBERG.

DUUMVIRIS ET SEPTEMVIRIS,

DN. PAULO BEHAIM,
DN. GEORGIO VOLCKAMER,
DN. LEONHARDO GRUNDHERR,
DN. ANDREÆ IM HOF,

Dominis suis observandiss. & Patronis
magnis

Cultus simul & gaudij testandi ergo
L. M. Q. D D.

A. DINNER D. EID REIP. à CONSIL.
& Cod. Prof. in Acad. Altdorphina..



I. N. D. N. I. C.

Si quanta ante paucas septimanas, ad famam adventantium duorum maximorum exercituum, consternatio omnium fuit atq; metus: tantum nunc, mutata rerum facie redditaque tranquillitate Opido isti gaudium esse debet: minimè fortassis vituperandus est is, qui qua ratione gaudere se aliis testetur, considerandum dicit. Si namq; juxta sententiam Romani sapientis, leticia in quemlibet cadere potest, gaudium verò in solum sapientem: gaudio studii aliquid impendere sapientes decet, & amabunt gaudia curam. Ad metum quod attinet, is ejusmodi est, ut facile celari ac dissimulari non possit. Quin potius, quo magis occultare eundem

A 2

dem

dem & abdere homines nituntur, eò mani-
festius pavidi sunt, erumpente ex omni par-
te trepidatione, & vultu ficto cum oratione
minimè consentiente. Quod superioribus
diebus facile intellectum est, cùm initio ple-
riq; de liberis tantum aut uxoribus, aut bi-
bliothecis in locum tutiorem transferendis
sollicitos se esse ostenderent, qui tamen po-
ste a nihilo remissius corpori quoq; ac vitæ se
timuisse, facta secessione declararunt. Quo-
rum metum sicut per omnia vanum aut de-
generem fuisse, non temerè dixerim; (nam &
ipse nec ex quercu nec ex saxo prognat⁹ sum,
~~εδε μοι αντω Θυμὸς εὶς σῆμα τιθήεται~~) ita postquam
eam tempestatem lux serenior exceptit, me-
tuq; maximo liberati sumus: læticiæ signa
non minus, quam prius tristiciæ ac squa-
loris, publicè extare oportere judico, & vel
pastoritium illud Publij Maronis ingemi-
nandum,

— DEUS NOBIS HÆC OCIA FECIT.

NAMQUE ERIT ILLE MIHI SEMPER DEUS.

Gauden-

Gaudendum igitur est, & ita gaudendum,
ut ocium literarium tranquillitatemq; redu-
ctam DEO in primis acceptam feramus. Sic-
ut enim pacem deum in publicis calamita-
tibus olim exposceremoris erat, vel morbis
grassantibus, vel prodigiis nunciatis, quæ
iratos deos portenderent: ita, qui periculum
evaserant, condemnari votorum unicè gau-
debant, minuiq; luctum, cum votum pu-
blicè suscepsum solveretur, credebant, sicut
apud Festum Pompejum scriptum est. Ex
tripode editum putem⁹ Sophocleum illud:
Σὺν Γάθεω πᾶς οὐλαζεὶς ὀδύρεται. hoc est: Cum Deo
quisq; & gaudet & flet. Hic namq; vitæ ne-
cisq; gentibus arbiter. Qualem quisq; for-
tem statumq; habeat, in manu ejus positum
est. Quid his datum, illis ademptum velit,
solus decernit. Ex indulgentia ipsius læticiæ
causas populi urbesque concipiunt. Nulla
pars usquam, nisi volente propitioque ipso
floret. Quas nationes fundit⁹ exscindi, quas
transportari, quibus pacem dari, quibus li-

A 3 berta-



bertatem eripi, quos reges mancipia fieri,
quorumve capiti regium circundari decus
oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur,
ipsius jurisdictione est. Hunc igitur tanti bo-
ni auctorem laudare debent, qui optimam
rerum pacem, quas homini novisse datum
est, restitutam sibi gaudent. Verum cum
hoc ipsum, quomodo laudare Deum opor-
teat, difficulter homines pleriq; intelligent:
quæ super ea re atq; laudandi modo medita-
tus sum, ante omnia communicare vobis-
cum constitui. Quod ut Vobis, MAGNIFICE
DOMINE RECTOR, REVERENDI, CLARISS.
ET DOCTISS. DNN. COLLEGÆ, NOBILES-
QUE ET ORNATISS. DNN. STUDIOSI, volen-
tibus faventibusq; fiat: utq; dicendi genus
inelegans ac incompositum, vitæ tamen
meæ conveniens, quam per dies aliquam-
multos, sine lare propemodum ac fundo,
meiq; ipse quodammodo oblitus egi, boni
consulatis, majorem in modum rogo.

EXISTI-



EXISTIMO igitur, eos demum verè DEUM
laudare, qui cœlesti perfusi lumine, magni-
tudinem divinorum beneficiorum intelli-
gunt, & tum quidem maximè laudare, cum
ad laudandum impares se agnoscant & con-
fitentur. Ex hac enim meditatione, tan-
quam ex fonte quodam, admirationis, gra-
titudinis, dilectionisq; Dei affectus scaturi-
unt, atq; illud accidit, ut beneficentiae tan-
tæ secreto animus mortalium obstupefa-
ctus, ac sub ejus velut mole ruens, nec eloqui
se posse sentiat, quod miratur, nec verbis
comprehendere audeat, quod ineffabile &
incomprehensibile esse perspicit. Itaq; et-
iam tacendo loquitur, admirando verò Dei
bonitatem, eandem prædicat. Divinæ nam-
que virtutis opera (ut quidam ex Sanctis Pa-
tribus dixit) tunc facundius loquimur, cum
obstupescendo reticemus. Quo tempore
Deus ipse in nobis se laudat, qui eam men-
tem nobis donat, qua illum supra omnem
laudem & prædicationem esse intelligentes,
admiran-



admiratione, silentio & stupore quodam sa-
cro deveneramur. Ne enim à nobis ipsis co-
gitationem ejusmodi ullam suscipi posse
credamus, Divus Apostolus disertè prohi-
bet, ostendens eum solum qui conferre in
nos beneficia ista gaudet, eorum quoq; sen-
sum, paremq; ac æquam æstimationem lar-
giri mortalibus consueuisse. ήμεῖς δὲ (ait) εἰ πνεῦμα τῷ κόσμῳ ἐλάτερον, αλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἡν τῷ θεῷ, ἵνα οὐδαμόν τι τῷ τῷ θεῷ χαριθέντι μη. hoc est, Nos au-
tem non spiritum hujus mundi accepimus,
sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ
à Deo donata sunt nobis. Tanti videlicet est,
beneficiorum divinorum cognitionem ha-
bere. Sed quod aliis in rebus accidere vide-
mus, ut ea quæ scimus, pars sint minimissi-
ma eorum, quæ ignoramus, quæq; super-
sunt adhuc discenda: idem vel in primis in
hac divinæ munificentia meditatione ve-
rum esse experimur. Cum enim ingenitâ
cœcitate oppressus animus noster ægrè se ad
eorum considerationem erigit, quæ in ocu-
lossen-

lossensusq; nostros singulis propè momen-
tis incurunt, cùm ea nobis contingunt
Quis humana sibi doleat natura negatis,
ut ait Flaccus: qua ratione consequi poteri-
mus, ut divinę liberationis beneficia vel per-
scrutemur, vel æqua lance expendamus?
Ubi namq; ipsa pericula incognita & ab in-
telligentia nostra penitus remota sunt, quo-
rum tanta est varietas & multitudo, quanta
muscarū in æstate est, cùm caletur maximè:
quis obsecro, tanquam ea evaserit, letari, aut
eapropter Liberatori obnoxium se profite-
ri potest? Meritò igitur omnes homines in-
grati erga DEUM dicimur, quos inscientes
Deus ex necessitatibus tām variis eripit, sic-
ut mundi Salvator Dn. N O S T R E J E S U S
C H R I S T U S testatur, de patre suo cœlesti
loquens, ὅτι αὐτὸς χειρός εἰναι Θεος τὰς αἰχας οὐσίας τοντούς,
hoc est, qui benignus est erga ingratos &
malos. Naturam rerum Paulus JC. alicu-
bi ait non esse in negotiis intuendam, in qua
omnia certa essent, cùm futura utique fie-

B rent,



rent, sed nostrā inscientiam adspici debere.
Eandem verò si tum quoq; intueri oportet,
quoties de divinis beneficiis cogitamus, ni-
hil meditatione nostra imperfectius depre-
hendemus. Cùm enim rerum ille Pater fu-
tura omnia, tanquam præsentia intueatur,
atq; infinita, quæ obfutura nobis novit, cle-
menter quotidie prohibeat atq; depellat:
utiq; nec consultis prius nobis, neq; preci-
bus nostris expectatis ad opem ferendam
accungi verum est. Unde fit ut in maxima
omnium eorum ignorantia, quæ circa nos
geruntur, & vel vitæ ac saluti, vel fortunis
nostris exitium afferre possunt, pérpetuò
versemur, & vix unquam homines versatos
se in discrimine norint, nisi mirabiliter ab
ipso Deo cognitio ea, tanquam par aliquod
immortalitati donum, data iisdem fuerit.

„Ceu, ni laceſſat lumen extēnum, illicò
„Oculus tenebris totus immersus latet,
„Se viduus ipſo, triste perpetiens malum:

Aſt

Ast ubi nitentes purpurat Sol pupulas, “
Visu lubescit atq; lætatur fruens: “
Haud aliter, ubi lumen gratiæ divinæ defi-
cit, Cimmeriis protinus tenebris involutus
stupor mortalium, nec mala cervicibus suis
impendentia, nec bona à Deo indefinenter
dimanantia discere laborat: adeò quidem,
ut parum esse videatūr periculum ignorare,
in quo servatus sis, misi & ea, quæ non dubi-
tamus à Luminum Patre bona quotidie
descendere, quæq; manibus palpamus, ex-
tremè subinde ingratitudinis nos condem-
nent. Sicut enim terras quasdam imbribus
sicciores fieri traditum est, velut in Nar-
niensi agro, quod admirandis suis inseruit
M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens,
imbre pulverem: Ita, quamvis continuo
imbre gratiæ divinæ humana indigentia in-
undet, magis tamen magisq; sterilescit, &
vix unquam fructum animi memoris ac
grati producit. Usq; adeò naturæ suæ reti-

B. 2. nens

nens est pulvis iste, quem hominem dicimus, ut neque aqua illa vivâ cœlesti, illaque pluvia voluntaria segregata hereditati DEI, sicut eam Propheta Regius vocat, rigari, nec lavari refrigerarique, aut denique coire in unum velit. Qui animæ humanæ nobilitatem in cœlum ferunt, intelligentiæ lumine à DEO præditam eam esse, auræ divinæ particulam esse affirmant: non enim ea tantum, quæ sensibus corporis patent, cognoscit, sed & de substantia rerum judicat: neq; præsentia tantum novit, sed & futura conjectat, ex causis effecta, ex effectis causas colligit: cœlum ipsum transcendit, DEUMq; (infiniti namque boni capax est anima nostra) acie mentis quodammodo attingit. Hæc tamen omnia cùm operatur & efficit, purus actus non est, & ut intelligentiæ munus exequatur, multis opus habet, objecto, specie, imaginatione sive phantasmate: ac cum ea tantum, quæ sunt, intelligit, scientiam suam à rebus dependere confitetur.

Inte-



Interea, & dum in corpore est, nec D E U M
videt, neq; seipsam: sed nequē substantiam
ullam, corporum licet, propriè intuetur: de
plurimis opinionem, paucissimorum ve-
ram habet scientiam: ubiq; fallitur, & tum
maximè cùm futura conjectat. Longè verò
aliter in D E O hæc se habent: qui uno intuitu
omnia simul perfectè cognoscit, nullis ad
cognoscendum adminiculis extra se indi-
get, quippe cui essentia sua intelligentia est.
Quapropter futura omnia non minus illi,
quam præterita, præsentia sunt, oculisq;
ipsius nuda omnia & aperta. Quæ cùm ita
sint, mirum esse non potest, si hominibus
etiam sapientissimis in maximo & præsen-
tissimo discrimine idem sæpenumero con-
tingat, quod Poeta dormientibus in magna
maris tempestate evenire ait, ut non prius,
quam rabiem ventorum evaserint, portum-
que tenuerint, periculi magnitudinem ad
animum revocent.

B 3

— *Siquis*



*Si quis fortè gravi qui vincit us membra sopore,
Nil sentit, dum sicut hiems: mox fluctibus actus
In siccum, & somno excitus, quanto aquora motu
Turbentur, videat, quantas evaserit undas,
Horreat: & tutum vix se in litore credat.*

Et ut in pauca rem conjiciam: Nihilomagis opera ac beneficia DEI absq; DEO cognosci possunt, quām Sol sine sua ipsius luce confici valet.

Qua de re, si quis est, qui porrò dubitandum putet, is statim præsentem rerum nostrarum, Opidiique ac Academiæ hujus nostræ paulò attentius mecum consideret. Cùm enim duo exercitus potentissimi, peditum ac equitum quinquaginta millia, à quibus castra moventibus, uno tantum millari divisi eramus, Opidum hoc (eminus an cominus, dubito) nuper territarent: Quis obsecro, cautum satis acceptumque habuit, quæ ducum consilia essent, quis ordo, quis finis belli gerendi: quos occidione deleri, quibus contra parci, quos in socio-
rum



rum numero habere voluerint? Verum, dicit aliquis, nihil tum periculi fuisse ab iis, qui nec hostili, nec alieno à nobis animo advenisse sed dictabant; Nolo ita sentientibus illud reponere, quod maximus Imperator Carolus V. de pactione, quam cum Clemente VII. Papa contra Franciscum Gallię Regem iniit, quamq; violatā à Papa querebatur, dicere solebat: VOCEM QUIDEM ESSE JACOBI, MANUM AUTEM ESAU: (quo genere nihil hodie, in tanto fallendi certamine, frequentius est) neq; alterum illud Henrici IV. Galliae & Navarræ Regis, qui de Comite Roberto Essexio loquens, Inter ipsa fercula nonnunquam dicebat cibi appetentiam incitari, eorum scilicet qui absq; aviditate ulla prius accessissent. Nolo, inquam, hæc illis modò respondere. Sed neq; fas esse arbitror, fidem Serenissimi ac Potentissimi utriusq; Bavariæ Ducis ac Domini, DN. MAXIMILIANI, COMITIS PALATINI AD RHENUM &c. alterius exercitus Imperatoris, & justiciæ simul laude cla-

*Entre les
viandes
vient l'
appétit.*



de clarissimi & felicissimi, recentis verò vi-
ctoriae gloria planè admirabilis, ullo modo
in dubium vocare, qui in agro Norimber-
gensis salva omnia fore receperat. Est tamen,
ubi non tam ducum voluntas ac cupiditas,
quam aliorum calamitas, discordiæ plebis
intestinæ, factiones Optimatum, tumultus
repentini, seditio, incendia, terror Panicus
locum injuriæ faciunt: ut qui consultò op-
pugnatum non venerant, his tamen emer-
gentibus occasionem proferendæ potentiaæ
suæ, quasi divinitus oblatam, negligere &
(quod dicitur) bolum è faucibus amittere
nolint. Præterea, quis tam prodigiosæ secu-
ritatis est, ut militem, cui in exercitu altero
stipendum neq; promissum neq; numera-
tum dicebatur, cum commeatus omnium-
que rerum penuria conflictantem, ipsique
cælo, si inclementius erit, minitantem, à
maleficio & præda, in provincia hactenus
integra belloque intacta, abstenturum per-
suadere sibi ausit? aut tam rerum imperitus,

ut Fa-



ut Famis & Sitis mala invicta imperio coēr-
ceri posse putet? Matrem magni Regis dice-
re memini, Verosimile non esse, ut jumentū
siti longā enectum, à scaturigine aquarum
copiosissima & (ut Lucretij verbo utar) flu-
entifona, prius æquamente abduci se patia-
tur, quām sitim sedavisset. O dictum verè
atq; facetè! Sed & multa alia sunt, neq; vana
omnino, neque fortuita, aut ejusmodi, quæ
vulgus nimis interdum superstitione ad cau-
sam trahere consuevit: quæ viro setiam for-
tes tam propinquo discrimine terrere, in ali-
is verò metum augere poterant. Quæ sicut
diligenter tum à medissimulata sunt, ita hoc
quoque tempore silentio præterire est ani-
mus. Neq; enim justum arbitror, serenum
gaudij, quod ex liberatione divina omnes
percipimus, sinistrorum ominū recitatio-
ne ac nubilo obscurare, aut pro Eucharisti-
ca κληδωνισκήν. hoc est ominandiscientiā quan-
dam profiteri. En, redeunt ad operas inter-
missas Viri doctissimi Academiæ hujus Pro-

C fesso-



fessores, qui in statione manserunt, suâ opiniōne & fortis & constantes, qui violentissimum affectuum METUM vicissent. Revertuntur quoq; ad Academiam cives *ἄλμαζέλοις* & segreges: quorum alij omnia metuenda esse putabant, quia quid timendum esset, non constabat, alij venatores timidos imitati, *ἀρκτίς παράσοντες τὰ ἵκανην ζητεῖν* hoc est, vestigia ur- si præsentis quærere visi sunt, ut in proverbio est. Nunc verò secessum suum Theocritæo illo excusant: *Ἐβα καὶ ταῦρος αὐτὸν ὑλαῖν.* hoc est, Abiit & taurus in silvam. Reversi autem sunt? Imò, si faciem videoas, expectare adhuc videntur, ut gratiæ ijsdem agantur, **QUOD DE REPUBLICA NON DESPERARINT, QUOD QUE REDIRE VOLUERINT:** quas scilicet & Varroni consuli à S. P. Q. Romano actas esse meminerant, postquam clade Cannensi amissio exercitu fugit, & in urbem incolumis reversus est. Utrique, quod caput est rei, grata mente profitentur, **DEUM IMMERENTES NOS CORONASSE MISERICORDIA & MISERATIONIBUS,**



nibus, ut loquitur Propheta Regius: ac illis
quidem, ut durarent, his ut postliminio re-
 dirent ad propria, clementer concessisse:
 concessisse, ut quilibet cum Apostolo dice-
 re possit: πειλήρωμα τῇ ὁδοκαλήσ, περπελοσένουμα τῇ
 χαρᾶ θητί πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν: hoc est, Repletus sum
 consolatione, superabundo gaudio in omni
 tribulatione nostra. Consolatur enim nos
 Deus in omni tribulatione nostra, εἰς τὸ δύνασθαι
 ἡμᾶς ὁδοκαλεῖν τὰς ἐν πάσῃ θλίψει, hoc est, ut possi-
 mus & ipsi consolari eos, qui in omni angu-
 stia sunt, ut idem Apostolus alibi ait: Ad-
 dam & hoc efficere eundem in nobis, ut ma-
 limus cum consolatione ejusmodi quamli-
 bet ærumnam perferre, quam utroq; simul
 carere. Verè enim Deus est omnis consola-
 tionis, tūm quia solus mederi miserijs no-
 stris novit, tūm quod earum causas intelli-
 git, quorum utrumq; hominibus negatum
 est. Ex quo fit, ut sæpenumero molestos
 consolatores homines se exhibeant in angu-
 stijs constitutis, sicut de consolatoribus suis

C 2 vir san-



vir sanctus Hiob conqueritur, & quandoq;
ibi mederi incipient, ubi non oportet.

Hanc verò consolationem quia animis
nostris, ceu lumini oleum, sedulo instilla-
runt Reverendi DEOQ. dilecti Ecclesiæ hu-
jus ministri, qui celestis mate verbi Divini ad
preces, fiduciamq; in DEUM concipiendam
assiduè nos animarunt: inæstimabili utique
beneficio nos omnes, qui intra urbem &
vallum, ut ita dicam, diffcili hoc tempore
substitimus, sibi devinxerunt. Non enim
aëre magis necessario corpora nostra utun-
tur, quam precibus piisq; votis animi pio-
rum. Et illa quidem, cùm spirare desierunt,
simul & vivere desinunt: quod ipsum spi-
randi verbum satis indicat, quod pro vita
usurpamus. Desinunt autem vivere, quan-
do calor nativus, quo core exæstuat, pulmo-
num ministerio, aërem frigidum continuò
attrahentium, calidumq; ejicientium, tem-
perari desinit. Eodem verò modo animus
noster, nisi assiduè ad DEUM preces suspiri-
aq; ca-



aq; calida ejaculetur, subinde autem recentem Spiritus Sancti gratiam recipiat, deficit atq; moritur. Macti pietate studioque isto vestro este, Viri Venerabiles, ac porrò quoque os nostrum aperire in necessitatibus, spiritumq; illum vivificantem attrahere sine intermissione docete! Sic namq; largiri bona & Deo honorificentius est, nobisque utilius: ut & solis potentibus, quærentibus atq; pulsantibus, nec dormientibus ad auxilium divinum porta pateat.

Utriq; postea ad COSS. & Senatum inclytum Norimbergensē, Magistratum nostrum observandissimum cōversi, hac quasi formula vota suscipiunt ac solvunt: Solemnia vota, DOMINI PATRESQ. “ PATRIÆ, pro incolmitate vestra, qua “ salus publica continetur, & suscepimus pa-“ riter & solvimus. precati DEUM, ut velit ea “ semper suscipi & signari. ut florentes vosea “ benignitate servet, quam super magnas plu-“ rimasq; virtutes, præcipuâ sapientiâ, mode-

C 3

ratione



,, ratione ac fortitudine, in Urbe, Provincia,
,, Academia defendendis, avertendisq; à no-
,, bis periculis, consequi divino honore me-
,, ruitis. ut eam porrò quoq; mentem vobis
,, det, quæ optima sit, qua studiis artium, ac
,, scientiarum omnium, earumque doctori-
,, bus in Academia ista vestra ita consulatis,
,, ut ea res vobis liberisq; vestris, posterisque
,, eorum benè & feliciter eveniat.

Post ordinem Amplissimum, plurimum
se utriusque debere fatentur Nobilissimis, ac
fortissimis viris, Dn. GEORGIO POEMERO
Opidi hujus praefecto vigilantissimo, Dn.
JOANNI CHRISTOPHORO COLERO
Ordinum Ductori, Dn. ERICO AB HA-
DELN designato itidem militum praefecto,
Dn. CÆSARI PFLUG Signifero : quo-
rum præclaram operam in civium ferocita-
te cohibenda, milite præsidiario regundo,
tormentis ac excubiis opportunè disponē-
dis, prudentiam denique & humanitatem
ipsi quoq; duces utriusq; exercitus Bavarici
atq;

atq; Mansfeldici admirati sunt, ita ut non
tantum amicitia dignos judicarent, sed eo-
rum quoq; arbitrium plurimis in rebus co-
miter observarent. Cùm enim pro se quisq;
atque Tu in primis, Poëmer Amplissime,
non sine vitæ periculo, inter arma fulgen-
tia, saxa volantia mediasq; cædes, summo
studio caveres, ne quid timidè, néve quid
temerè gereretur, Opidum hoc, templum,
Academia, domicilia, conjuges, liberi fo-
cique nostri defensi, nomen verò ac decus
vestrum immortali consecratum est.

Ad ipsam verò Academiam hanc quod
attinet, non equidem inficiar, incredibili
me dolore affici ex tantæ solitudinis deser-
torumq; auditoriorum cōspectu, quæ ante
paucas septimanas frequentissima intueba-
mur. Prò DEUM immortalem! Tantumne
Metui in hanc Academiam ejusque cives li-
cuisse? Tantumne Arcadiæ deastro ludibri-
um cœtum Pierium debuisse? Sed nec ipsa
pestilentia, *Bēla* & *S. Dñs* gentilibus dicta, quæ
septem



septem & decem annorum spatio bis Op-
dum hoc infestavit, majorem in Academia
stragem edidit, vastitudinemq; invexit: ut
verè dictum Pindaro sit: Εν γὰρ δαμονίοις φόβοις φέν-
γοντι καὶ ποῆδες θεῶν. hoc est: In divinis terroribus
fugiunt & deorum filij. Auget mœsticiam
ac miseriam nostram, quod occasione de-
solationis hujus, membrum nobilissimum
Academiæ hujus, Illustrem, inquam, &
Generosum Dominum, Dn. GEORGIUM
FRIDERICUM à SEINSHEIM, L. BA-
RONEM in Hohencottenheim, Seehaus,
Sinchingem, & Erlach &c. principem ju-
ventutis, floremque ordinis sui νοῦς μακαρίτην,
amisimus: vita longiori, non tām ob splen-
dorem prosapiæ, orisque dignitatem, quæ
vel Principem quēvis ornare sufficiens erat
dignissimum, quām ob singularem in DE-
UM pietatem, eruditionem ætati ipsius con-
venientem & facundiam, cum incompara-
bili erga omnes comitate morumq; suavi-
tate conjunctam, quibus, ut summus Aca-
demiæ



demiæ hujus magistratus nōn ita pridem ad ipsum deferretur, promeruit. Sed & Generositatem ipsius alter quidam vir ornatissimus Doctissimusq; ætate licet dispari, eodem tamen tempore, & eadem ad immortalitatem via, ex numero nostro secutus est, quo casu luctus nobis duplicatus, dolorq; exacerbatus est: quorum nunc memoriam pluribus sollicitare non debemus.

Quanquam autem ejusmodi ista sunt, ut potius, quæ à Deo nobis contingunt, velle dcbeamus, quam quæ cupimus, ab eodem optare: magna tamen sunt, gravia sunt, quis negat Auditores? Sed prohibeat Deus Opt. Max. prohibeat, inquam, à nobis, quæ morte ipsa & vi inimicorum graviora instare nobis videntur, FAMEM dico, & EGESTATEM. Quæ calamitas non cœlitus, ut res ipsa testatur, demissa, nec hostium meditamento aut injuria in agrum nostrum inducta, sed immani scelere ac avaritia paucorum hominum conflata est, qui-

D bus



bus nihil aliud propositum est, quam omnes homines ~~ἐποκολύπειν~~, ut Archilochi verbo utar, & studia atq; literas, quas lentè renasci sciunt, unà cum ingenijs ipsis, quantum in se est, opprimere. INGENIA STUDI-
AQ. OPPRESSERIS FACILIUS, QUAM REVOCAR-
VERIS, verissimè ait in Agricola Tacitus. Ac Domitianus quidem vitiorum omniū conscius sibi Princeps, inimicas vitijs artes non odio magis, quam reverentia relegaverat, ajente Plinio Secundo in Panegyrico, quem optimo Imperatori Trajano dixit. Hoc genus hominum avaritia cœcum, Magistratibus contumax, furore vecors non relegare artes, sed ipsos protinus cultores earum exanimare cogitat, excandefactâ, supra quam credibile est, annonâ, auctisq; subito rerum pretijs, sine quibus nullo modo vivi potest. Non poterat simplicior & certior via ad dissipationem interitumq; Academiæ reperiri, Auditores optimi: siquidem misericordiæ species est citò occidere, & alimen-



ta denegare est necare. Neq; propterea in
quenquam injurius sum, dum vitiis magis,
quam hominibus irascor. Sic & Socrates
exsecrari solebatur eos, qui primi honestatem
ab utilitate se junxit, res inter se naturali
consortio & societate devinctas: quam o-
pinionem ajebat esse causam omnium in-
commodorum, quibus humana vita infesta-
retur. Innumera enim mala consequi ne-
cessere est, ubi augendae rei familiaris studi-
um à recta conscientia & à pietatis officio
penitus divellitur atq; segregatur. Earun-
dem verò rerum discidium causa est anno-
næ difficultatis præsentis: de qua tot cives
honesti hujus Opidi, qui neq; artopæi, ne-
que zythespæ neque creopolæ sunt, tot a-
gricolæ, coloni, operarij q; pauperes, tot vi-
duæ & pupilli nunc conqueruntur: quibus
congemere nolle, est futuri judicii metum
perdidisse. Pro his enim omnibus C H R I-
S T U S Dn. noster mortuus est. Habeo que-
relarum harum testem, præter eum, quem

D 2

paulo



paulo ante laudavi, Nobilissimum Dn. Opidi hujus præfectum, Virum spectatissimum doctiss. & præstantissimum Dn. M. GEORGIUM GÖRINGERUM poligrammateum, qui honoris nostri, fortassis & commiserationis causa Auditorium hoc ingressus est: quem de hac communis fundi calamitate non semel conferre mecum memini. Belli mala minus, quam Famem, formidanda esse, Psaltes Regius exemplo suo docuit, qui Fami pestilentiam, in flagellorum trium optione, prætulit. Et, ut pater virtutis omnis Justiniano dictus censuit,

Πάντες μὴ συγέροι θάνατοι δειλοῖσι Βροτοῖσι,
Ληπτῷ δ' ὄντισσον θανέσσιν, καὶ πότμον ἐπέσσεται.

hoc est:

*Dura quidem miseris mors est mortalib. omnis,
At perijisse fame res una miserrima longe est.*

„Vos, DOMINI PATRIÆQ. PATRES, Senatores inclytę Reipub. Norimbergensis, quos non sine multo honore iterum compello, obviam ite, pestes istas à nobis

nobis familiaq; nostra prohibete, eaq; re^{cc}
Vos deos quosdam averruncos nobis præ-^{cc}
state. Ita vicissim Rector ille universi, Sa-^{cc}
lutis fons, pelagusq; immensum Boni, quæ^{cc}
imperio vestro gesta sunt, geruntur, postq;^{cc}
gerentur, ea Vobis, Populo plebiq; Norim-^{cc}
bergensi, sociis, nominiq; vestro benè ve-^{cc}
runcet, eaq; omnia benè juvet, bonis au-^{cc}
ctibus auxit, salvos incolumesq; victis per-^{cc}
duellibus (si qui erunt) servet, quæq; illi^{cc}
in civitatem vestram facere moliti fuerint,^{cc}
ea Vobis Populoq; Norimbergensi in eos-^{cc}
dem exempla edendi facultatē det. Quod^{cc}
si quid præterea optandum est, id quoque^{cc}
deprecamur, ut idem Deus Opt. Max. cu-^{cc}
stodiat & protegat hanc pacem, qua, mu-^{cc}
nere ipsius, magis nunc gaudemus, quam^{cc}
qui senectam exuit. tūm verò languentem^{cc}
intemperiis præteriti temporis Academiæ^{cc}
hujus flosculum brevi revirescere faciat,^{cc}
mulceat, firmet, educet, ipse Aura, Sol,^{cc}
Imber & omnium Incrementum. in feli-^{cc}

D 3 cissimo

,, cissimo Reipublicæ Vestræ statu, aνδρασαθεντων
,, υμῶν ἡγιαδεχομένων. ut quod in monitorio E.
,, dicto Tiberius Cæsar olim proposuit, ci-
,, tra invidiam odiumq; ullius, ipsa nascendi
,, conditione PRINCIPES MORTA-
LES SINT, RESPUBLICA
VERO IMMOR-
TALIS.

DIXI.

AD AUCTOREM
CASP. HOFMANNI MED. D.
& Profess. Ord. in ead. Acad.

CARMEN.

ET nemo heic memor est mandati muneris, inquam,
Erepta ex tantis, impia turba, malis!
Nemo est ex tanto numero, qui dicere CHRISTO
Promeritas laudes ore, animoq; velit!
Sic ego multoties tecum: cum syrmate pullo.
DINNERUM video protetulisse pedem.
Eja bonum factum! quo non præstantior alter
Mulcere eloquio pectora flexanimi.
DINNERE, exemplo quia nos pietatis amico
Sollicitas, meritò nomen habeto PFI,
Ut, postquam cælo nubes transiverit ista,
Almaq; se nolis pax iterum fliterit,

Omnes

Omnis unanimi celebremus pectore C H R I S T U M,
Auspicio ducti, præco diserte, tuo.
At vos, quos memori v&grandia facta J E H O V A E,
Et patrium fædus volvere mente juvat:
State Viri, & lati, tanto turbante tumultu
Teutoniam, eventus spe tolerate moram.
Tempus erit: sed vos mandata capessite J H O V A E,
Et votis ibunt consona fata suis.
Sic ait: In dubijs M E autorem quære salutis,
A M E certa tibi (crede) salus veniet:
At tu, non dubijs à M E defense periclis,
Fac mea condignis laudibus acta vehas.

A L I U D.

E Cquid in obscuro latitans fortè addere nomen
Possum, à quo majus sumunt mea carmina pond⁹?
Parva tamen; fueram certè majora daturus,
Æquè si primum præstare ac velle fuisset.
S A L V E igitur, semper Te vota precesq; sequantur:
Et vivas vigeasq; , precor, ter maxime nostri
Nunc ævi Cicero; (rumpantur ut ilia Codro!)
Dispeream malè si palpor. facundia tanta est,
Dictio tam locuples, tanto fluis amne, Tuiq;
Tam semper similis modò corpore, corde, styloq;
Rara avis in terris, nigroq; simillima cygno,
Raraq; conspicitur conjunctio cordis & oris.
Queis cunctis polles; nec nunc inglorius: exstant
Ingenij monumenta Tui, testantia curam.
Pro sermone, leget quæ post mirata vetustas.
Macte hac, insignis Doctor, virtute coruscâ!
Magna potes præstare, edas majora; legemus'.

Aliud

AKT 568 ALIUD EJUS DEM.

Nomina pulchra placent, faustum jacet omen in illis,
Et res sub pulchro nomine pulchra latet.
Andreas non voce tenuis, virtute sed ampla es,
Et vita studijs, ingenijq; bonis.
Cum visu es facilis, tum dictu adfabilis omni,
Sic Charitum plenè perficies numerum.
Virgilij est equidem vox: famam extendere Factis
Hoc virtutis opus, esse laboris onus:
Ast simul hunc dignum regero, nec laude minorem,
Qui Dictis famam extendere ritè queat.
Sæpe solent homines festivo dicere lusu,
Id quod & exemplis tempora nostra probant:
Doctis atq; apibus dare blandula verba necessum est,
Ut solito maneat utraq; turba loco.
Causarum mihi multa subest vis; cœius abunde
Hoc de Te sparsus dicier ista monet.
Dictis nutantem retrahis DINNERE, disertum
Quem præ alijs celebrat Norica terra virum.
Gloria sic cinget; nec Te ventura silebunt
Secula, nec famæ sunt habitura modum.

Deprop.

Johannes Heringius
Oldenburgensis
J. U. ST.

F I N I S.

107
201





ET PRVDEN-
NIS
Æ ET
CLARISS.
BERG.
TEMVIRIS,
AIM,
LCKAMER,
RUNDHERR,
HOFF,
f. & Patronis
andi ergo
D.
P. à CONSIL.
orphina.